

# LITURGIA HORARUM

IN CANTU GREGORIANO



DOMINICA XVI PER ANNUM  
*ANNO A*



## AD I VESPERAS

D E-us, ✠ in adiu-tó-ri- um me- um inténde. ¶ Dómi-  
ne, ad adiuvándum me festí-na. Gló-ri- a Patri, et Fí- li- o,  
et Spi-ri-tu- i Sancto. Si-cut e-rat in princí-pi- o, et nunc,  
et semper, et in sácu-la sácu-ló-rum. Amen. Alle-lú-ia.

### Hymnus

I R E-rum, De- us, fons ómni- um, qui, re-bus actis óm-  
ni-bus, to-tí- us orbis ámbi- tum censu re- plésti mú-ne-rum,

2. Ac, mole tanta cóndita,  
tandem quiétem díceris  
sumpsisse, dans labóribus  
ut nos levémur grátius:  
3. Concéde nunc mortálibus  
deflére vitæ crímina,  
instáre iam virtútibus  
et munerári prósperis,

4. Ut cum treméndi iúdicis  
horror suprémus cœperit,  
lætémur omnes ínvicem  
pacis repléti múnere.

5. Præsta, Pater piíssime,  
Patriqué compar Unice,  
cum Spíritu Paráclito  
regnans per omne sǽculum.  
Amen.

### Psalmodia

IV e

I N domum Dómi-ni \* læ-tántes í-bimus.

E u o u a e.

### PSALMUS 121

Civitas sancta Ierusalem

*Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem celestem  
(Hebr 12, 22).*

Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi: \*  
«In domum Dómini íbimus».

Stantes iam sunt pedes nostri \*  
in portis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificáta est ut cívitas, \*  
sibi compácta in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, \*  
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes ad iudícium, \*  
sedes domus David.

Rogáte, quæ ad pacem sunt Ierúsalem: \*  
«Secúri sint diligéntes te!

Fiat pax in muris tuis,\*  
 et secúritas in túrribus tuis!».

Propter fratres meos et próximos meos \*  
 loquar: «Pax in te!».

Propter domum Dómini Dei nostri \*  
 exquíram bona tibi.

VIII a

**D** E profúndis\* clamá-vi ad te, Dómi-ne. Eu o u a e.  
*Quæ non repetitur in psalmo.*



### PSALMUS 129

De profundis clamavi

*Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Mt 1, 21).*

[De profúndis clamávi ad te, Dómine; \*]  
 Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes \*  
 in vocem deprecationis meæ.  
 Si iniquitátes observáveris, Dómine, \*  
 Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiatio est, \*  
 ut timeámus te.

Sustínui te, Dómine, \*  
 sustínuit ánima mea in verbo eius;  
 sperávit ánima mea in Dómino \*  
 magis quam custódes auróram.  
 Magis quam custódes auróram \*  
 speret Israel in Dómino,

quia apud Dóminum misericórdia,\*  
et copiosa apud eum redémpcio.

Et ipse rédimet Israel \*  
ex ómnibus iniquitáibus eius.

VII c

OS autem \* glo-ri- á-ri opór-tet in cru-ce Dó-  
mi-ni nostri Iesu Chri-sti. E u o u a e.

**CANTICUM**

*Phil 2, 6-11*

De Christo, servo Dei

Christus Iesus, cum in forma Dei esset, \*  
non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo,  
sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, †  
in similitúdinem hóminum factus; \*  
et hábitu invéntus ut homo,  
humiliávit semetípsum †  
factus oboediens usque ad mortem, \*  
mortem autem crucis.

Propter quod et Deus illum exaltávit †  
et donávit illi nomen, \*  
quod est super omne nomen,  
ut in nómine Iesu omne genu flectátur \*  
cælestium et terréstrium et infernórum  
et omnis lingua confiteátur: \*  
«Dóminus Iesus Christus!», in glóriam Dei Patris.

### Lectio brevis

*2 Petr 1, 19-21*


Habémus firmiorem propheticum sermónem, cui bene fáctis attendéntes quasi lucernæ lucénti in caliginoso loco, donec dies illucéscat et lúcifer oriátur in córdibus vestris, hoc primum intellegéntes quod omnis prophetía Scripturæ propria interpretatióne non fit; non enim voluntáte humána proláta est prophetía aliquándo, sed a Spíritu Sancto ducti locuti sunt a Deo hómines.

### Responsorium breve

A so-lis ortu usque ad occá-sum, \* Laudá-bi-le  
 no-men Dómi-ni. ¶ Super cæ-los gló-ri- a e-ius.  
 ¶ Gló-ri- a Patri, et Fí-li- o, et Spi-ri-tu- i Sancto.

### Magnificat

vii a E X-hi-be- ámus \* córpo-ra nostra hó-sti- am vi-  
 véntem, sanctam, De-o pla-céntem ; semper morti-fi-ca-  
 ti- ó-nem Iesu in córpo-re nostro circumfe-réntes, ut



et vi-ta Iesu ma-ni-fes-té-tur in corpó-ri-bus nostris, al-  
le-lú-ia. E u o u a e.

CANTICUM EVANGELIUM

*Lc 1, 46-55*

Exsultatio animæ in Domino

Magnificat ♩ \*

ánima mea Dóminus,  
et exultávit spíritus meus \*  
in Deo salvatóre meo,  
quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. \*  
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatiónes,  
quia fecit mihi magna, qui potens est, \*  
et sanctum nomen eius,  
et misericórdia eius in progénies et progénies \*  
timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo, \*  
dispérsit supérbos mente cordis sui;

depósuit poténtes de sede \*  
et exaltávit húmiles;  
esuriéntes implévit bonis \*  
et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, \*  
recordátus misericórdiæ,  
sicut locútus est ad patres nostros, \*  
Abraham et sémini eius in sæcula.

## Preces

Christum, in quo lætántur omnes, qui sperant in eum,  
deprecémur:

*Réspice et exáudi nos, Dómine.*

Testis fidélis et primogénite mortuórum, qui lavásti nos a peccátis nostris in sanguine tuo,  
— mirabílum tuórum redde nos mémores.

Quos Evangélii vocásti præcónes,  
— strénui et fidéles dispensatóres mystérii regni tui inveniántur.  
Rex pacífice, véniat Spíritus tuus in illos, qui pópulos regunt,  
— ut óculos in páuperes miserósque convértant.

Cónsule iis, qui discrímén ob genus, colórem, condiciónem,  
sermónen aut religiónem patiúntur,  
— ut iúrium suórum ac dignitátis agnitiónen consequántur.  
Omnes, qui in tuo amóre decessérunt, beatitúdinis redde partíci-  
pes,  
— cum beáta María Vírgine et ómnibus sanctis tuis.

The musical notation consists of four staves of Gregorian chant. The first staff begins with a large capital 'P' and continues with 'A-ter noster, qui es in cæ-lis, sancti-fi-cé-tur no-'. The second staff continues with 'men tu-um; advé-ni- at regnum tu-um; fi- at vo-lúntas'. The third staff continues with 'tu-a, sic-ut in cæ-lo, et in terra. Panem nostrum'. The fourth staff concludes with 'co-ti-di- ánum da no-bis hó-di- e; et dimít-te no-bis dé-'. The notation uses square neumes on a four-line staff system.

bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ri-bus nos-tris; et ne nos indú-cas in tenta-ti- ó-nem, sed lí-be-ra-nos a ma-lo.

### Oratio

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis, et cleménter grátiae tuæ super eos dona multíplica, ut, spe, fide et caritáte fervéntes, semper in mandátis tuis vígili custódia persevérēnt. Per Dóminum.

D ómi-nus vo-bíscum. R. Et cum spí-ri-tu tu-o.  
Be-ne-dí-cat vos omní-po-tens De-us, Pa-ter, et Fí-li- us,  
et Spí-ri-tus Sanctus. R. Amen.

I - te, in pa-ce. R. De-o grá- ti- as.

## AD LAUDES MATUTINAS

The musical notation consists of three staves of square neumes on a four-line staff system. The first staff begins with a large initial letter 'D'. The lyrics are:

E-us, **\*** in adiu-tó-ri- um me- um inténde. ¶ Dómi-

ne, ad adiuvándum me festí-na. Gló-ri- a Patri, et Fí- li- o,

et Spi-rí-tu- i Sancto. Si-cut e-rat in princí-pi- o, et nunc,

et semper, et in sácu-la sácu-ló-rum. Amen. Alle-lú-ia.

### Hymnus

The musical notation consists of three staves of square neumes on a four-line staff system. The first staff begins with a large initial letter 'E' and a Roman numeral 'IV'. The lyrics are:

IV  
C-ce iam noctis tenu- á-tur umbra, lu-cis auró-

ra rú-ti-lans co-rúscat ; ní-si-bus to- tis ro-gi- témus

omnes cuncti-pot- éntem.

2. Ut Deus, nostri miserátus, omnem  
pellat angórem, tríbuat salútem,  
donet et nobis pietáte patris  
regna polórum.

3. Præstet hoc nobis Déitas beáta  
Patris ac Nati, paritérque Sancti  
Spíritus, cuius résonat per omnem  
glória mundum. Amen.

### Psalmodia

VIII g<sub>2</sub>

D Omi-nus \* mi-hi adiú- tor est, non timé-bo  
quid fá-ci-at mi-hi homo. E u o u a e.

### PSALMUS 117

Vox iubilationis et salutis

*Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis edificatoribus, qui factus est in caput anguli (Act 4, 11).*

Confitémini Dómino, quóniam bonus, \*  
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

Dicat nunc Israel, quóniam bonus, \*  
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

Dicat nunc domus Aaron, \*  
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

Dicant nunc, qui timent Dóminum, \*  
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

De tribulatióne invocávi Dóminum,\*  
et exaudívit me edúcens in latitúdinem Dóminus.

Dóminus mecum,\*  
non timébo, quid fáciat mihi homo.

Dóminus mecum adiútor meus,\*  
et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confúgere ad Dóminum \*  
quam confidere in hómine.

Bonum est confúgere ad Dóminum \*  
quam confidere in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me,\*  
et in nómine Dómini excídi eos.

Circumdántes circumdedérunt me,\*  
et in nómine Dómini excídi eos.

Circumdedérunt me sicut apes †  
et exarsérunt sicut ignis in spinis,\*  
et in nómine Dómini excídi eos.

Impelléntes impulérunt me, ut cáderem,\*  
et Dóminus adiúvit me.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus \*  
et factus est mihi in salútem.

Vox iubilatiónis et salútis \*  
in tabernáculis iustórum:  
«Déxtera Dómini fecit virtútem! †  
Déxtera Dómini exaltávit me; \*  
déxtera Dómini fecit virtútem!».

Non móriar, sed vivam \*  
et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus \*  
et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas iustítiae; \*  
ingréssus in eas confitébor Dómino.

Hæc porta Dómini; \*  
iusti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me \*  
et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, \*  
hic factus est in caput ánguli;

a Dómino factum est istud \*  
et est miráble in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus: \*  
exsultémus et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; \*  
o Dómine, da prosperitatē!

Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. \*  
Benedícimus vobis de domo Dómini.

Deus Dóminus et illúxit nobis. \*  
Instrúite sollemnitatē in ramis condénsis  
usque ad córnua altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi, \*  
Deus meus, et exaltábo te.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, \*  
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

VIII g

T Rium puerorum \* cantémus hymnum, quem cantábant in camíno ignis, bene-di-céntes Dóminum. Eu o u a e.

## CANTICUM

Dn 3, 52-57

Omnis creatura laudet Dominum

*Creator... est benedictus in sæcula (Rom 1, 25).*

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, \*

et laudábilis et superexaltátus in sæcula;

et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum \*

et superlaudáibile et superexaltátum in sæcula.

Benedíctus es in templo sanctæ glóriæ tuæ \*

et superlaudábilis et supergloriósus in sæcula.

Benedíctus es in throno regni tui \*

et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es, qui intuéris abýssos †

sedens super chérubim, \*

et laudábilis et superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es in firmaménto cæli \*

et laudábilis et gloriósus in sæcula.

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino, \*

laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

VII a

Mnis spí- ri-tus \* lau-det Dómi-num. E u o u a e.

## PSALMUS 150

Laudate Dominum

*Psallite spiritu, psallite et mente, hoc est: glorificate Deum et anima et corpore vestro (Hesychius).*

Laudáte Dóminum in sanctuário eius, \*

laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in magnálibus eius,\*  
 laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.  
 Laudáte eum in sono tubæ,\*  
 laudáte eum in psaltério et cíthara,  
 laudáte eum in týmpano et choro,\*  
 laudáte eum in chordis et órgano,  
 laudáte eum in cýmbalis benesonántibus, †  
 laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: \*  
 omne quod spirat, laudet Dóminum.

### Lectio brevis

*2 Tim 2, 8. 11-13*

Memor esto Iesum Christum resuscitátum esse a mórtuis, ex  
 sémine David. Fidélis sermo: Nam si commórtui sumus, et  
 convivémus; si sustinémus, et conregnábimus; si negábimus, et  
 ille negábit nos; si non crédimus, ille fidélis manet, negáre enim  
 seípsum non potest.

### Responsorium breve

Onfi-té-bimur ti-bi, De-us, \* Et invo-cá-bimus  
 nomen tu-um. ¶ Nar-rá-bimus mi-ra-bí-li-a tu-a.  
 ¶ Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o, et Spi-rí-tu-i Sancto.

## Benedictus

I a2

D O-mi-ne, \* nonne bonum semen se-mi-násti in  
a-gro tu- o ? unde er- go ha-bet zi-zá-ni- a ? Et  
a- it il-lis : Hoc fe- cit in-i-mí-cus homo.

E u o u a e.

## CANTICUM EVANGELIUM

*Lc I, 68-79*

De Messia eiusque præcursoro

Benedictus + Dóminus Deus Israel,  
quia visitávit et fecit redemptiōnem plebi suæ  
et eréxit cornu salútis nobis \*  
in domo David púeri sui,  
sicut locútus est per os sanctórum, \*  
qui a sæculo sunt, prophetárum eius,  
salútem ex inimícis nostris \*  
et de manu ómnium, qui odérunt nos;  
ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris \*  
et memorári testaménti sui sancti,  
iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, \*  
datúrum se nobis,  
ut sine timóre, de manu inimicórum liberáti, \*  
serviámus illi

in sanctitáte et iustítia coram ipso \*

ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: \*

præfíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius,

ad dandam sciéntiam salútis plebi eius \*

in remissióne peccatórum eórum,

per víscera misericórdiæ Dei nostri, \*

in quibus visitábit nos óriens ex alto,

illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent \*

ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

### Preces

Deo poténtiæ et bonitátis, qui nos amat et novit quibus rebus  
indigémus, cum láudibus corda nostra læti pandámus:

*Te laudámus, in te confidimus, Dómine.*

Benedícimus tibi, omnípotens Deus, Rex univérsi, qui nos iniús-  
tos et peccatóres vocásti,

— ut cognoscámus veritátem tuam et maiestáti tuæ serviámus.

Deus, qui nobis misericórdiæ iánuam patére voluísti,

— fac ut a vitæ numquam sémitis inveniámur dévii.

Resurrectiōnem dilectíssimi Fílli tui celebrántes,

— fac nos hunc diem in gáudio spiritáli transígere.

Da fidélibus tuis, Dómine, spíritum oratiōnis et laudis,

— ut in ómnibus tibi grátias semper agámus.

The musical notation consists of a single staff with a common time signature. It features a large capital letter 'P' at the beginning, followed by a series of vertical stems with small horizontal dashes, representing a rhythmic pattern of eighth and sixteenth notes. The staff ends with a final vertical stem and dash.


A-ter noster, qui es in cæ-lis, sancti-fi-cé-tur no-

men tu-um ; advé-ni- at regnum tu-um ; fi- at vo-lúntas  
 tu- a, sic-ut in cæ-lo, et in terra. Panem nostrum  
 co-ti-di- ánum da no-bis hó-di- e ; et dimít-te no-bis dé-  
 bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ri-bus nos-  
 tris ; et ne nos indú-cas in tenta-ti- ó-nem, sed lí-be-ra  
 nos a ma-lo.

### Oratio

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis, et cleménter grátiæ tuæ super  
 eos dona multíplica, ut, spe, fide et caritáte fervéntes, semper in  
 mandátis tuis vígili custódia persevérēnt. Per Dóminum.

D ómi-nus vo-bíscum. Et cum spí-ri-tu tu-o.



Be-ne-dí-cat vos omní-po-tens De-us, Pa-ter, et Fí-li- us,



et Spí-ri-tus Sanctus. R. Amen.



I - te, in pa-ce. R. De-o grá- ti- as.

## AD II VESPERAS

**D**

E-us, **+** in adiu-tó-ri- um me- um inténde. ¶ Dómi-  
ne, ad adiuvándum me festí-na. Gló-ri- a Patri, et Fí- li- o,  
et Spi-ri-tu- i Sancto. Si-cut e-rat in princí-pi- o, et nunc,  
et semper, et in sácu-la sácu-ló-rum. Amen. Alle-lú-ia.

### Hymnus

VIII

**O**

lux, be- á-ta Trí-ni-tas et princi-pá-lis Uni-  
tas, iam sol re-cé-dit ígne- us : infúnde lumen córdi-bus.

2. Te mane laudum cármine,  
te deprecémur véspera;  
te nostra supplex glória  
per cuncta laudet sácula.

3. Christum rogámus et Patrem,  
Christi Patrísque Spíritum;  
unum potens per ómnia,  
fove precántes, Trínitas. Amen.

## Psalmodia

VII c2

I-xit Dómi-nus \* Dó-mi-no me- o: Sede a dextris  
me- is. E u o u a e. *Que non repetitur in psalmo.*

### PSALMUS 109, 1-5. 7

Messias rex et sacerdos

*Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius  
(1 Cor 15, 25).*

[Dixit Dóminus Dómino meo: \*

«Sede a dextris meis, ]

donec ponam inimícos tuos \*

scabéllum pedum tuórum ».

Virgam poténtiæ tuæ emítte Dóminus ex Sion: \*

domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum principátus in die virtútis tuæ, †

in splendóribus sanctis, \*

ex útero ante lucíferum génu te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: \*

«Tu es sacérdos in ætérnum


secúndum órdinem Melchísedech ».

Dóminus a dextris tuis, \*

conquassábit in die iræ suæ reges.

De torrénte in via bibet, \*

proptérea exaltábit caput.



### PSALMUS III

Viri iusti beatitudo

*Ut filii lucis ambulate; fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate  
(Eph 5, 8-9).*

Beatus vir, qui timet Dóminum, \*  
in mandátis eius cupidit nimis.

Potens in terra erit semen eius, \*  
generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiae in domo eius, \*  
et iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis, \*  
miséricors et miserátor et iustus.

Iucundus homo, qui miserétur et cómodat, †  
dispónet res suas in iudício, \*  
quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit iustus, \*  
ab auditíone mala non timébit.

Paratum cor eius, sperans in Dómino, †  
confirmátum est cor eius, non timébit, \*  
donec despíciat inimícos suos.

Distríbuit, dedit paupéribus; †  
iustitia eius manet in sæculum sæculi, \*  
cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, †  
déntibus suis fremet et tabécet. \*  
Desidérium peccatórum períbit.


## CANTICUM

*Cf. Ap 19, 1-2. 5-7*

De nuptiis Agni

VI

**S** A-lus et gló-ri- a et virtus De-o nostro, *R.* Alle-lú-  
 ia. *V.* Qui- a ve-ra et iusta iu-dí-ci- a e-ius, *R.* Al-le- lú-ia,  
 alle-lú- ia. *V.* Laudem dí-ci-te De-o nostro, omnes servi  
 e-ius, *R.* Alle-lú-ia. *V.* Et qui timé-tis e- um, pu-síl-li et ma-  
 gni, *R.* Alle- lú-ia, alle-lú-ia. *V.* Quó-ni- am regna-vit Dómi-  
 nus, De-us noster omní-pot-ens, *R.* Alle-lú-ia. *V.* Gaude- ámus  
 et exsultémus et demus gló-ri- am e- i, *R.* Al-le- lú-ia,  
 alle-lú-ia. *V.* Qui- a ve-né-runt núpti- æ Agni, *R.* Alle-lú-ia.



¶. Et uxor e-ius præpa-rá-vit se, ¶. Al-le- lú-ia, alle-lú-ia.

### Lectio brevis

*Hebr 12, 22-24*

Accessístis ad Sion montem et civitátem Dei vivéntis, Ierúsalem cælestem, et multa mília angelórum, frequéntiam et ecclésiam primogenítórum, qui conscrípti sunt in cælis, et iúdicem Deum ómnium, et spíritus iustórum, qui consummáti sunt, et testaménti novi mediatórem Iesum, et sanguinem aspersiónis, mélius loquéntem quam Abel.

### Responsorium breve

A musical score for a three-line staff. The first line starts with a large 'M'. The second line starts with a small 'A'. The third line starts with a small 'E'. The lyrics 'Agnus Dómi-nus noster, \* Et magna vir-tus' follow. The music consists of short vertical dashes representing neumes.

Agnus Dómi-nus noster, \* Et magna vir-tus  
e-ius. ¶. Et sa-pi- énti-æ e-ius non est núme-rus. ¶. Gló-  
ri-a Patri, et Fí-li- o, et Spi-rí-tu- i Sancto.

### Magnificat

A musical score for a three-line staff. The first line starts with a large 'C'. The second line starts with a small 'O'. The third line starts with a small 'z'. The lyrics 'Olli-gi-te \* primum zi-zá-ni-a, et al-li-' follow. The music consists of short vertical dashes representing neumes.



### CANTICUM EVANGELIUM

*Lc I, 46-55*

Exultatio animæ in Domino

Magníficat ✠ \*

ánima mea Dóminum,  
 et exsultávit spíritus meus \*  
 in Deo salvatóre meo,  
 quia respéxit humilitátem ancillæ suæ. \*

Ecce enim ex hoc béatam me dicent omnes generatiónes,  
 quia fecit mihi magna, qui potens est, \*  
 et sanctum nomen eius,  
 et misericórdia eius in progénies et progénies \*  
 timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo, \*  
 dispérsit supérbos mente cordis sui;  
 depósuit poténtes de sede \*  
 et exaltávit húmiles;  
 esuriéntes implévit bonis \*  
 et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, \*  
recordátus misericórdiæ,  
sicut locútus est ad patres nostros, \*  
Abraham et sémini eius in sæcula.

### Preces

Gaudéntes in Dómino, a quo omne bonum descéndit, ipsum  
sincéris méntibus deprecémur:

*Dómine, exáudi orationem nostram.*

Universórum Pater et Dómine, qui Fílium tuum in mundum  
misísti, ut nomen tuum glorificarétur in omni loco,  
— testimónium Ecclésiæ tuæ róbora apud gentes.

Fac nos Apostolórum prædicatióni dóciles,  
— et fidei nostræ veritati confórmes.

*Qui díligis iustos,*  
— iudícium fac iniúriam patiéntibus.

Compedítos solve, cæcos illúmina,  
— elídos érige, ádvenas custódi.

In tua iam dormiéntium pace votum complére dignérис:  
— da eos per Fílium tuum ad resurrectiōnem sanctam perveníre.

A musical setting of the Lord's Prayer in Latin. It begins with a large capital 'P'. The lyrics are as follows:

Pater noster, qui es in cælis, sancti-fi-cé-tur no-  
men tu-um ; advé-ni- at regnum tu-um ; fi- at vo-lúntas  
tu-a, sic-ut in cæ-lo, et in terra. Panem nostrum

co-ti-di- ánum da no-bis hó-di- e ; et dimít-te no-bis dé-  
 bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ri-bus nos-  
 tris ; et ne nos indú-cas in tenta-ti- ó-nem, sed lí-be-ra  
 nos a ma- lo.

### Oratio

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis, et cleménter grátiæ tuæ super eos dona multíplica, ut, spe, fide et caritáte fervéntes, semper in mandátis tuis vígili custódia persevérant. Per Dóminum.

D ómi-nus vo-bíscum. Et cum spí-ri-tu tu-o.  
 Be-ne-dí-cat vos omní-po-tens De-us, Pa-ter, et Fí-li- us,  
 et Spí-ri-tus Sanctus. Amen.

I - te, in pa-ce. R. De-o grá- ti- as.

